

nit. quod in publicis disputationibus prorsus neglectum cognoscimus, quum syllogismum conditionalem hunc in modum formant: *sequitur, quod.* quæ formula a solæcismi crimine haud poterit liberari, quippe omnes latini, *sequitur, ut,* ponant, vel infinitivum, subaudito tamen *ut,* non *quod:* est enim comma, quod antecessit, sequentis causa. *Quin* non tantum post formulas dubitandi negantes, quod quidem notum est, sed etiam post aientes, vim tamen negationis ex interrogativo sensu habentes, recte collocatur. Et *quo minus* elegantius post verba impedimenti adhibetur.

6. Præcipue futurum periphrasticum, hoc est, futurum participii actiivæ vocis cum verbo substantivo compositi, non tantum ornatus causa sæpenumero, verum etiam necessitatis ergo est ponendum; quia sensus turbaretur & ex futuro fieret præteritum. id quod ita intellectum volo: quotiescumque utimur conjunctionibus *ut, quo, quin, ne, quod,* etiam alia particula *an,* sequente verbo futuri temporis; numquam potest futurum conjunctioni apponi, sed futurum periphrasticum. e. g. vereor, ne pater illud gravius laturus sit, vel patrem illud gravius laturum esse. non autem: vereor, ne pater illud gravius tulerit.

7. Adiectiva in *bundus* licet participia non sint, similem tamen formam & notionem, quin etiam constructionem habent atque casum regunt eundem, quem verbum, unde

de-